

**Dissertatio inauguralis medica de malignitate in febris falso ac merito suspecta ... / [Paul Joseph Flacho].**

**Contributors**

Flacho, Paul Joseph.  
Universität Altdorf.

**Publication/Creation**

Altorfii : Typis magni Danielis Meyeri, [1733]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/kbj98uup>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

*Q. D. B. V.*

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
*DE*

**MALIGNITATE  
IN FEBRIBVS**

FALSO AC MERITO SVSPECTA

*QVAM*

INDVLGENTE

*GRATIOSO*

**MEDICORVM ORDINE**

*IN*

ALMA STVDIORVM VNIVERSITATE  
ALTORFINA

***PRO LICENTIA***

**HONORES IN MEDICINA SVMMOS**

ET PRIVILEGIA DOCTORVM

RITE IMPETRANDI

*PVBLICE DEFENDENDAM SVSCIPIT*

A. D. XXVII. IVNII A. S. R. CLOCCXXXIII

**PAVLVS IOSEPHVS FLACHO**

VBERLINGA-SVEVVS.

---

*ALTORFII*

TYPIS MAGNI DANIELIS MEYERI.

OF THE

UNIVERSITY OF ALBANY

MASSACHUSETTS

IN THE

YEAR 1880

AND

1881

ALBANY

UNIVERSITY

ALBANY

PRO LICENTIA

HONORIS IN MEDICINA

ET PRIVILEGII DOCTORUM

RIE IMPERANDI

FRANCIS DREWRY

A. D. MDCCLXXXIII

FRANCIS DREWRY

BERLINA

NEW YORK

FRANCIS DREWRY



## PRAEFATIO.



*Si permulta sunt, quae morbis humani corporis cognoscendis pariter atque curandis haud exiguam difficultatem afferunt, vix tamen quidquam frequentius atque gravius exercet Medicos, quam istud, quod in morbis MALIGNVM est, aut esse dicitur. Quamvis enim omnis per se, et in se consideratus morbus valetudini ac vitae hominum inimicus sit, illi tamen caeteris inimiciores existimandi sunt, qui suam indolem, invadendi ac nocendi rationem subdole occultant, saepe non nisi a posteriori, ab effectu scilicet pernicioso diiudicandam: unde tam crebro usu venit, quod*

non intellecti, non fit curatio morbi;

A 2

propter

*propterea que non solum aeger, et adstantes, sed et ipsemet interdum Medicus, clandestina morbi malitia decipiantur. Quare a longo iam tempore introducta fuit in Artis Medicæ doctrinam necessaria illa distinctio morborum, eiusdem quoque generis, benignorum atque malignorum; seorsim ad providam horum observationem multiplici cautione tradita, et in hunc usque diem ab Autoribus serio commendata. Neque vero interea defuerunt, qui hoc in negotio ad alterutrum extremorum prolapsi, aut in merum ignorantiae Asylum converterunt, et susque deque habendam censuerunt assertam morbis malignitatem, aut in quovis casu graviore, ac difficulter superabili, eandem imprudenter praetexerunt. Haec talia perpendenti mihi occasionem suppeditarunt periclitandi meas qualescunque ingenii vires, circa MALIGNITATIS, verae et fictae, non in omni quidem morborum genere, sed in febribus duntaxat, terminos definiendos; quod ut feliciter expediam, Divinum Numen in auxilium supplex imploro!*

## §. I.

**A**Nte omnia concedendum mihi postulo, *revera dari, ac saepius occurrere in febribus malignitatem.* Hanc quidem generatim definire paulo magis arduum esse arbitror, quam indicare praesentem singulis in casibus. Graecorum certe vocabulum, *κακότης*, quoniam secundum literam, *morale* aliquod *malum* designat, non admodum congruere videtur ad mala mere physica, cujusmodi sunt *morbi* corporis, et inter hos *Febres*. Nihilominus tamen qui latine scripserunt vel optimi quilibet Autores, vix alio nomine rem melius explicare noverunt, quam *malī moris febrium*. Paulo simplicior, et ad Physicam notionem accommodatior esse videtur phrasis A. C. CELSI, qui lib. II. Cap. IV. *malos morbos, malas Febres* illas nuncupat: (\*) Quod si ad nostratium quoque Germanorum usitiora epitheta operæ pretium est attendere, constabit, eiusmodi *febres malignas* communiter appellari *böse / giftige / höchst gefährliche Fieber*.

## §. II.

Ad uberiolem, tam Graecae quam Latinae dictionis expositionem iuvabit ea huc afferre in medium, quae apud IO. CVNR. DIETERICHIVM in *Iatro Hippocr.* pag. 579. extant: *κακότης νόσος* est, quae curationi admodum repugnat, et *κακότης*, si morbo aut effectui tribuitur, eius pravitatem indicat, et esse *δυσίατον*, i. e. gravius aegrusque curari; unde et eius curatio dicitur LUCIANO *κακότης καὶ δολερὰ θεραπεία*. Eiusmodi νόσημα *κακότης* inter febres occurrit, quae

A 3

hinc

(\*) A quo non multum discrepat CAELII AVRELIANI dictio, Lib. I. de Morbis Acutis Cap. V. accusata nempe *febrium nequitia*,

*hinc febris maligna stricte dici solet. Speciatim quoque haec κακόντης ulceribus et vulneribus tribuitur, quae κακόντης tunc appellantur.*

### §. III.

Longum nimis foret disquirere, an et quousque HIPPOCRATES atque GALENVS τὸ κακόντης in specie adscripserint *febribus*, neque etiam id mea multum refert; quamvis utique clariora sint eorum loca, ubi ulceribus aliisque affectibus externis epitheton istud attribuitur. Caeterum hoc sufficit, agnovisse illos veteres medicinae statores non raro eiusmodi *Febres* occurrere, singularis *malae indolis*, quamvis ipsam *malignitatis essentiam ac formalem rationem* vix declaraverint. Et sane qui eos per aliquot saecula secuti sunt Scriptores, vix aliquid amplius attulerunt lucis, apparente praesertim *impossibili conciliatione materialis principii malignitatis cum qualitatibus primis*, vulgo dictis. Hinc desperatione veluti quadam coacti ad *occultam* confugerunt *qualitatem*; cum neque ad calidum aut humidum, neque ad frigidum aut siccum, neque ex iisdem compositum quidpiam referri posse deprehenderint illud ipsum, quod in *febribus* adeo extraordinarium ac revera *malignum* saepiuscule observarunt.

### §. IV.

Paulo propinquius ad rem accedere visi sunt, qui *malignitatem*, et huic obnoxias *febres* ad *morbos totius substantiae* retulerunt, ea videlicet ratione, quod istud quaecumque inimicum principium, non simplici una vel altera qualitate prima, sed *tota substantia sua* et *crasi perniciose* operetur, totamque corporis humani substantiam hostiliter aggrediatur. Illa phras, tametsi aliquibus inanis esse, ac reale nihil exprimere videtur, attamen idoneum ex recentioribus nacta est defensorem

ac disertum interpretem *WEDELIVM in Pathol. Med. Dogmat.* pag. 39. sequ. quamvis nihilominus aliqua rei determinandae obscuritas relinquatur, dum eo ipso asserto nondum constat *natura specifica materiae malignae, tota substantia sua afficientis totam corporis substantiam.* Ad definiendam igitur *malignitatis, ut in univrsam morbificae, ita febrilis seorsim essentiam;* cum a priori nec intelligi, nec propter summam subtilitatem suam sensibus percipi queat, omnino opus est considerare eiusdem *effectus;* quandoquidem hi, quod velut in axiomatico dici solet, *testantur de causa.*

### §. V.

Possunt autem *malignarum febrium phaenomena* communia, quibus se potissimum produnt, in duplicem disponi ordinem. Prior complectitur *anomaliam typi, et incertos ac minime regulares temporum decursus.* Saepe enim, praeter consuetum febribus legitimis processum, aut *sine horrore* incipiunt, aut hunc insequenti *calori*, pravo quodam modo intermiserunt, nunc huius, nunc illius sensu notabili cum inconstantia praeva-lente. Ipse vero *aestus* pariter *inaequalis*, nonnunquam adeo *levis* apparet, ut neque contactu externo corporis, neque ex-pulsu et urina percipi satis queat latens intus incendium. Non raro etiam *fitis*, contra morem febrium aliarum *exigua* aut *nulla* est, ut ideo vix febrile se existiment aegri, nedum in magno versari periculo, quod tamen interdum subito emergit, citra solitam ab initio, per *velocissima incrementa* ad statum ac interitum, progressionem, ut quandoque citius pereat aeger, quam confecisse videatur morbus augmenti sui curriculum.

### §. VI.

*Alter ordo phaenomenorum* includit *gravitatem* quorundam *Symptomatum*, quae cum ista ante notata horro-  
ris, caloris,  
fitis,



fitis, apparente lenitate parum conveniunt. Eminent inter illa cum primis *extremus virium vitalium defectus*, et *fatigatio*, citra orgasmum praesentem, ac praegressam manifestam causam: Respondet ipsi plerumque *pulsus debilis*, etsi alias in metro seu rythmo non admodum a sanorum pulsu abluat. Porro exerunt se frequenter *lipothymiae*, tanquam pedissequae defectiois virium vitalium. Ad haec *vigiliae contumaces*, absque notabili quadam causa, a dolore corporis aut animi perturbatione probabili. Nec taceri debet singularis *ἀναισθησία*, sive *sensuum hebetatio*, et *languidus quidam stupor*, qui non raro in *delirium* erumpit. Denique huc pertinent *motus convulsivi*, aut *tremores artuum*.

### §. VII.

Decet autem phaenomena recensita non singulatim accipere, sed *coniunctim*, atque si non omnia, saltem *pleraque* simul aestimare, tanquam *Signa praesentis februm malignitatis*, et prudenter conferre cum simpliciore februm aliarum indole. Quo magis igitur ista omnia, aut complura, in eundem morbum incidentia, peculiarem eius causam arguunt, eo minus de *malignitate vera* praesenti dubitandum est; uti ex adverso non quaelibet alia, quantumvis gravia februm accidentia, et non ordinarie ac perpetuo contingentia, *malignitatem* indicant.

### §. VIII.

Caeterum necesse est, ut mentionem aliquam hic faciam illius, per experientiam satis confirmati *februm discriminis*, secundum quod aliae *sua quasi natura ac perpetuo malignae* existunt, e. g. *pestilentes*, ipsaque prae omnibus *pestis*; aliae *interdum* saltem atque *per accidens*, a peculiari externarum causarum, praesertim aëris constitutione ortum habentes,  
 exem-

exemplo februm catarrhalium, dysenteriae, pleuritidis, variolarum, morbillorum, &c. in quibus per saepe falluntur aegri, adstantes, ac Medici, aut non animadvertendo coniunctam re vera malignitatem, aut in aliis casibus eandem temere accusando et fingendo: quamvis fere varius contingat, ut epidemice grassantes, cuiuscunque speciei febres, omni malignitate careant.

## §. IX.

Quemadmodum vero probabile est, quod in illis febris, quae semper, aut ordinarie deprehenduntur malignae, idem et febris et malignitatis materiale sit principium, ita de aliis pluribus, quae interdum saltem coniunctam habent malignitatem, non minus probabiliter coniecere licet, distinctam quoque ipsius esse causam, et ab ordinario cuiuslibet speciei februm materiali principio diversam; nisi potius statuere quis velit, a maiori eius depravatione malignitatem proficisci; quod tamen citra logomachiae speciem asseri vix poterit.

## §. X.

Video nunc propius accedendum mihi esse ad declarationem materiae efficientis malignitatem in febris. Atque utinam multa in hanc rem perspicua proferri possent. Verum enim vero cum de sententia plerorumque Medicorum adeo subtile sit illud principium, ut omnem sensum a priori fugiat, et non nisi a posteriori cognoscatur, facile apparet, quam minus expedita et possibilis sit eiusdem definitio. Accedit quoque difficultas alia, et dubitatio, num per omnes februm malignarum species una eademque sit materiae indoles? quod mihi quidem verosimile non videtur.

## §. XI.

In medium autem afferam aliquot Auctorum opiniones de natura et essentia materiae malignae in febris. Luculenta imprimis est SYDENHAMII, Opuscul. med. p. m. 313. professio, sequentibus comprehensa verbis: *Censeo ego, malignitatem eam omnem quae Epidemicis competit (qualiscunque tandem fuerit specifica eius natura) particulis calidissimis ac spirituosissimis, humorum in humano corpore contentorum naturae plus minusve adversantibus, consistere ac terminari; quia solae istiusmodi particulae humores ita subito alterare valent, atque in morbis malignis fieri videmus. Censeo item calidas illas et spirituosas particulas assimilando maxime agere; cum ex naturae lege quodlibet principium activum sui simile procreare satagat, & quae ei utcunque obsistunt, ad propriam indolem inflectere atque accommodare: Ita ignis ignem generat, et maligno infestus morbo socium inficit, spirituum scilicet emissionem, qui humores mox inficiendos sibi assimilant, & in naturam suam perducunt trahuntve.*

## §. XII.

Nescio an fortasse melius rem explicaverit Io. DOLAEVS, quando in *Encyclop. Med. Lib. IV. Cap. V. malignitatem* nihil aliud esse statuit, quam *secessionem particularum sanguinis a se invicem, quae non facile possit restitui: pestilens autem virus seu venenum, partibus suis maxime volatilibus et acribus, salinis, corrosivis, tum etiam sulphureis, ceu variis telorum vibrationibus, crebrisque ictibus saeviendo, fibras & minutissimos sanguinis ramusculos amputare, quibus resectis, reliquae crassiores & ad motum ineptae instar cinerum restantes, in corpus valde heterogeneum coagulentur, & in massam circulari nesciam facebant.* Idem Auctor l. c. veterum GALENI sectatorum,

rum, nec non HELMONTII et WILLISII, de malignitatis in febribus essentia, opiniones exponit, diversis quidem phrasibus ac terminis comprehensas, sed e quibus omnibus vix aliquid clarioris luminis denotandae rei accedit, saltem quoad specialem principii materialis naturam.

### §. XIII.

Qui Chemicorum doctrinam hic applicare satagunt; atque salis subtilissimi et volatilis, aut acidi aut alcalici, aut etiam arsenicalis principii indolem pro causa malignitatis in febris venditant, eos utrinque a vero aberrare ostendit SCHELMERVS tract. de genuina febris curandi methodo, pag. 202. & seq. Ut enim certum sit, acidum omne coagulare sanguinem, minime tamen certum, omne quod coagulat sanguinem, necessario acidum esse; cum et frigus id praestet, et serum variis modis aliis coeat in gelatinosam substantiam. Nec felicius se explicant, qui tenue et acre statim salis volatilis nomine dignantur, cum multa sint in rerum natura, nec acida, nec urinosa, acerrima tamen; ut ex vegetabilibus arum et asarum, piperitis herba, et alia plurima, ex mineralibus arsenicum, cuius acrimonia nec gustui quidem manifesta statim est, si tamen hoc agit, et non potius alia ignota qualitate, carnes fundit, liquat, erodit, supra omnia reliqua.

### §. XIV.

Neque vero proprie arsenicalis naturae miasma febrium malignarum esse, laudatus Autor concedit, sed absurde supponi declarat, hac opposita quaestione: Cur metallurgi vix unquam febris malignis corripiantur, sed et ab his et ipsa peste loca metallica fere sint immunia? Sufficere igitur existimat, illud acre aliud ab acido, urinoso, ac sulphureo existare, et in eo acquiescendum esse, dum ipsa natura in rebus suis indagando am-

plius progredi non patiatur. Caeterum hoc certum esse idem SCHELHAMERVS contendit, *in febribus malignis mitioribus omnibus sanguinem et serum coagulari et incrassari, in saevioribus autem, e. g. pestilentibus, acrimoniam quandam contrahere et corrosivam qualitatem.* Vtrumque is porro ex phaenomenis et symptomatibus ordinariis morborum istorum luculenter deducit, atque singula cum hypothese sua diserte conciliat.

### §. XV.

Cum itaque *miasmatis maligni febrilis* indoles specialis a priori neququam pateat, nec ad ullum materiae nobis alias cognitae genus proprie referri queat, liquido hinc apparet, quam facile in eruenda atque aestimanda *malignitate* humanus sensus aberrare possit; ut nec de ipsius *sede in corpore humano* semper satis constet. Quamvis enim cunctae febres, et per consequentiam *malignae* quoque, sint universales morbi, haud tamen aequaliter in toto corpore se exerit *malignitas*, sed in una aut altera parte prae reliquis praesentiam et energiam suam prodit. Celeberrimus equidem BAGLIVIVS *Prax. Med. Lib. I. Cap. IX. p. m. 52. Malignarum, vulgo dictarum, februm frequentiorem focum haerere in primis viis ac mesenterio, et ab apparatu pravorum crudorumque humorum, quandoque massam sanguineam contaminantium, et in viscerum inflammationem abeuntium pendere statuit.* Quod etsi saepius sic usuvenire lubens concedam, ac persuasum habeam *contagii febris malignae primam* (ut ita loquar) *instantiam contingere in ventriculo*, a deglutita saliva *miasmate maligno imbuta*, illud tamen perpetuum esse, et non alios sese insinuandi modos existere, nec in aliis, praeter istas *primas, vulgo dictas vias, locis residere cumulatius malignitatem* posse, neququam credibile mihi videtur.

### §. XVI.

## §. XVI.

Constat enim utique *maligna pestilentiaque miasmata* variis corporis partibus adhaerere copiosius atque arctius, ut nomen inde morbo haereat. Sic, ubi *pectus* occupaverint, *pleuritides* aut *peripneumonias*; si *ventriculum* aut *intestina* obfederint, *choleras*, *diarrrhaeas*, *disenterias malignas* producere accusantur: Sic *morbus Hungaricus*, si *caput* petat, nostratibus dicitur *die Haupt-Krankheit*; ubi *colli* internas partes, *die Bräune*, scite omnia haec annotante SCHELHAMERO. Quapropter mirum non est, si sub tam vario simpliciorum morborum schemate latens *malignitas non statim suspecta* sit, quae quam maxime attendi et *suspecta* esse debebat: Sicut ex adverso in iisdem morborum generibus a meticulosis aegrotis et adstantibus pariter ac medicis non raro perperam praetenditur, et *falso suspecta est malignitas*, si paulo maior solito vehementia morbi appareat, aut praesentius vitae periculum imminet.

## §. XVII.

Haec tam prona promptaque *malignitatis* accusatio in morbis, ubi ordinarie ipsa aesse non solet, permovet sagaciores medicos, ut in eandem liberalius inveherentur, et eius *infrequentiam* ostendere conarentur. Quam in rem severe animadvertit antea citatus BAGLIVIVS, dum nempe non negat quidem dari aliquando febres nonnullas, a *furore veluti venenifero productas*, uti sunt quas *esus fungorum aut Boletorum, similibumque noxiorum ciborum usus* parit; sed tam frequentes esse ac innumerabiles, ut vulgus aut Medici somniant, constanter negat, contra vero testatur, se, quando solus aegrotorum curam inceperit, et sua methodo curaverit, *raro tales malignas febres observasse*, sed quando ad curationem ab alio coeptam voca-

retur, quoniam mente multis praeiudiciis ante coepta curatio febrium instituta sit, mille differentia, et *gravia* se observasse *accidentia*, quae frequenter *soboles* sint *methodi depravatae*, non vero *naturae morbi*.

### §. XVIII.

Hanc ipsam BAGLIVII sententiam, quod adeo *rara sit avis malignitas*, Illustris D. D. STAHLIVS in *Dissert. de malignitatis indole* pag. 11. quodammodo limitat, et verba illius, utpote a Viro inter aliquas adhuc profundius insidentes, magis absolutum mechanismum respicientes opiniones, de reliquo in labyrinthum artis medicae profundius et cordatius introspiciente prolata, merito *sano sensu* in optimam partem affumenda esse iudicat: Siquidem totus reliquus BAGLIVII contextus satis monstret, quod potius notet *fastidiosam illam communis praxeos convolutionem ad malignitatem*, in omnibus *difficilioribus, temere provocatis, et ab essentiali morbi indole divertentibus accidentibus et eventibus accusandam*: Vnde etiam recte protestatur, quod haec *rara avis*, maxime eo sensu sit *rara*, quod *non ita frequens in singulis morbis occurrat, ut vulgo Medici arbitrentur*.

### §. XIX.

Cum igitur *malignitas* revera, etsi non secundum popularem opinionem frequentissime *variis febribus* accidere soleat, saepe vero in iisdem *falso suspecta* sit, operae pretium esse duco, aliquas *conditiones* in utramque partem, et ad necessariam veri a falso distinctionem proponere. In universum autem per experientiam constare existimo, *nullam febrem sincere intermittentem habere coniunctam malignitatem*: Vnde omnes illae observationes, quae de *febribus quotidianis, tertianis, quartanis malignis*, apud Autores practicos commemorantur, siquidem

accu-

accurate fuerint consignatae, et attente considerentur, earundem febrium, servato utcumque *intermittentium typo*, de *continuis* factis reapse sunt intelligendae, ubi *remissio* quaedam aestus febrilis et aliorum symptomatum incautos decipit, ut pro *intermissione* illam habeant, et hoc praeiudicio negligatur *malignitas merito suspecta*.

## §. XX.

Quare in omnibus illis *febribus*, quibus ordinaria est *intermissio*, hac in *continuum* migrante statum, *malignitatis* aliqua oriri debet *suspicio*, eademque maior, quo magis illa in §. V. et VI. notata signa concurrunt: Ex adverso autem in eodem febrium genere *falso suspecta* est *malignitas*, ubi servato legitime *typo*, & *vera intermissione*, secundum paroxysmos contingente, unum alterumve symptoma praeter consuetudinem gravius aegrum affligit, seu temperamenti ipsius, seu *perversae diaetae aut therapiae vitio*; quo pertinent efferati aestus, anxietates praecordiorum, deliria etc. per calidius regimen et medicamentorum calidiorum abusum concitata.

## §. XXI.

Quod de intermittentibus modo febribus pronuntiavi, idem propemodum de reliquis *natura continuis*, ac per se non *malignis* accipiendum est. Nimirum non omne statim extraordinarium graviusque symptoma arguit *adventitiam malignitatem*, nisi eadem plura in §§. antea citatis recensita signa conspirent: Vnde e. g. perperam saepe accusatur *malignitas in Variolis*, si quando circa ipsarum eruptionem apud infantes aut pueros incidunt *epileptici insultus*, salutare potius censendi, aut tempore suppurationis *vehementissimi aestus*, *deliria*, aut *diarrhoae*, incongrui regiminis vitio; Quamvis eiusmodi errores in periculum vitae non minus conicere valeant aegrum, quam ipsa *falso suspecta malignitas*.

## §. XXII.



## §. XXII.

Eadem fere est ratio *Pleuritidis* ac *Peripnevmoniae*, nec non *Dysenteriae*, quae propter atrociam alicuius symptomatis saepe falso pro malignis venditantur; cum illa morbi exacerbatio revera non tam indoli ipsius, quam ineptae curationi debeatur. Et hic quidem est ille pessimus perversae medicationis effectus, dum causa morbifica, sibi et naturae relicta, facile superabilis, adeo exagitur, ut complures humorum particulas sibi assimilando ampliore atque profundiore corruptionem aut putredinem producat, ipsamque *veram malignitatem* imitetur.

## §. XXIII.

Et istud quidem detestabile *artificium*, *intempestiva auxiliorum calidiorum applicatione deteriores faciendi morbos*, et *in malignum convertendi habitum*, scite explicavit iusteque reprehendit I. C. SYDENHAMIVS: Quanto magis (ait) usu calefacientium actuantur particulae miasmatis febrilis calidae ac spirituosae, tanto magis intenditur ea quam habent assimilandi facultas; quantoque etiam magis excalescunt humores isti, in quos agunt, tanto libentius in assimilantium castra migrant, eandem impressionibus cedentes. -- Atque appellanda mihi hic venit experientia, qua magistra edoctus sum, et *purpureas februm maculas* et *variolarum pustulas nigras*, eo promptius sumplisse incrementum, quo magis calefieret aeger, easdem vero pro ratione moderatioris regiminis, quod iis omnino debetur, decrescere solere ac minui. h. i.

## §. XXIV.

Vix itaque iustius Medici, talem febriles affectus tractandi methodum sequentes, regimenque nimis calidum administrantes  
*maligni-*

*malignitatem* accusant, quam si quis de incendii vehementia periculosa conqueri vellet, qui ad idem restinguendum conductus, oleum pro aqua in ignem infuderit. Praecipuum quod inde contrahitur aegro damnum in eo consistit, quod turbatio naturae, ob *falso suspectam malignitatem* facta, aut per incongruum regimen calidius demum introducta *malignitatis species*, difficillime postmodum corrigi et emendari queat; utut quam maxime ac *merito suspectam* tunc habeat medicus *malignitatem*. Caeterum haec etiam locum invenire potest *in febribus non epidemicis*, sed *privatis*, quas *sporadicis* medici appellant, sive quae citra contagium accidunt singulis personis a peculiari cacochymia, quibus in casibus haud raro forsitan medentes negligunt coniunctam *malignitatem*, quae *merito suspecta* esse debebat.

## §. XXV.

Vt haecenus dicta, et amplius forte dicenda, velut in summam contraham: *Suspecta* debet esse *malignitas* semper *in peste ac febribus pestilentibus*; plerumque *in epidemicis*, *inflammatione*, et *exanthematibus*, praesertim *petechiis* aut *purpura stipatis*; minus frequenter *in variolis ac morbillis*, nisi *luculenta superius recensita malignitatis signa*, mox ab initio aut in *progressu morbi comparuerint*; minime omnium *in intermittentibus*, *revera talibus*, nisi *mutato typo*, *in continuas*, cum *notabili pravitate symptomatum evaserint*. Decet autem cordatum Medicum ubique in promptu habere *accuratam malignitatis ideam*, e signis supra indicatis haud difficulter formandam.

## §. XXVI.

De *pulsu* seorsim ex Celeberrimi STARBLII l. c. sententia admoneo, illum debilem esse verum pathognomonicum signum  
C verae

*verae defectivae virium prostrationis* ; Vnde in oppletiva virium praegravatione longe dispar est, magnus scilicet ac plenus, cum exiguo systalticae quietis sensu. *Vera itaque virium deiectio*, repentina et quasi spontanea, cum *pulsu* isto debili, utcumque demum in metro se ipse habeat, *duplicatum malignitatis signum praebet* ; ut adeo *rara* sit *avis* illa observatio, loquacissimorum etiam ore vulgata, *pulsus sanus, urina sana, et tamen aeger moritur*. Juvabit etiam attendere ad *excretiones*, tam *ordinarias* quam *extraordinarias*, quae praesente *in febribus malignitate* vix unquam modum servant, sed aut solito segnius aut impetuosius, utrinque citra levamen succedunt, quod de *sudationibus* praesertim ac *haemorrhagiis* animadvertere licet.

#### §. XXVII.

Cum antea non veritus sim affirmare, *per incongruam curandi rationem*, maxime regiminis et remediorum calidiorum abusum, concitari posse talem sanguinis et feri corruptionem, quae ipsam referat *malignitatem*, huius assertionis confirmandae causa provoco ad notissima *Vulnerum atque Ulcerum exempla*. Illorum quaedam a *natura mali moris* esse constat, e. g. quae telis venenatis et morfu rabidorum animalium, aut ictu scorpionum etc. infliguntur; sicut etiam *ulcera* nonnulla, *cacochymiae malignae vitio*, a prima statim origine *mali moris* deprehenduntur: Non raro tamen et vulnera et ulcera haud malae indolis, inconvenienter tractata in pessimum convertuntur statum, inflammationem fonticam, gangraenam aut sphacelum contrahunt, ipsius nempe *malignitatis consecutaria*. Et quamvis in eiusmodi casibus imprudentes Medici aut Chirurghi malefactorum suorum excusationem ab *interna*, quae in corpore delituisse *malignitate* soleant petere, de hac tamen saepe non facilius persuadebunt sapientiori-

bus adstantibus, quam illi, qui febrium male abs se tractatarum sinistro funestoque eventui excusando *malignitatem* causantur.

## §. XXVIII.

Supereft, ut ostendam, quomodo Medicus se gerere debeat in utroque casuum genere, *ubi scilicet falso aut merito suspecta est in febribus malignitas*. Quantum ad priores attinet, sicuti exercitato artifice haud convenit, ad quamlibet aegroti vel adstantium meticolosam *de malignitate praesente suspicionem* statim consentire, sed prius omnia recte percontari, quo veritatis fundamento nitatur illa *suspicio*; ita ubi vanam ipsam deprehenderit, ante omnia in bonam spem erigere timentes, et officii quemque sui admonere debet. Ipse vero Medicus ex eodem frustraneo licet metu hanc utilitatem capiet, ut eo percussos tanto facilius in obsequio retinere queat, suae interim, quae morbo debetur, curandi methodo intentus. Quod si vero quaedam vel leviora et adhuc pauciora, dummodo *vera malignitatis signa*, praecipue *in febribus*, quibus illa familiaris est, apparuerint, non cunctabitur Medicus, neque expectabit donec plura superveniant, sed periculi tempestive submonebit aegrum et adstantes, ne si res male cesserit imprudentiae aut negligentiae insimuletur.

## §. XXIX.

Edocere autem, *quomodo emergenti occurrendum sit malignitati*, singulis in casibus, id fateor supra vires meas esse positum, et requireret sane illa disquisitio plus temporis et chartae ad decernendum, quam mihi nunc quidem permittitur. Omnem curationis cardinem in eo verti existimo, *ut cognitum ab effectu miasma malignum quantocys e corpore*

*eiiciatur*, cum primis per poros cutis, aucta *diaphoresi* ad *sudationem* usque. Verum enim vero in hoc negotio *maxima* opus est *moderatione*, cum in eligendis et applicandis remediis, tum in regimine externi caloris administrando, ne quod per istam viam eliminare Medicus satagit *malignum miasma*, concitato vehementiori tumultu intestino, idem profundius immergat humoribus vitalibus, et per hos altius infinet in viscera nobiliora partesque principes.

### §. XXX.

Quod supra in §. XIV. de sententia SCHELHAMMERY pronuntiatum est, *materiam malignam* probabiliter agere potissimum in sanguinem et serum *coagulando* et *incrassando*, in partes solidas per acrimoniam singularem *corrodendo*, id quidem ita debet accipi, ut utriusque modi consecutaria simul probe considerentur. Nimirum illa *humorum coagulatio* intimam *corruptionem* et *putredinem* eorum, erodendæ autem *facultas inflammationem* primo *fonticam*, mox *gangraenam* ipsumque *sphacelum* affectarum partium post se trahit. Quapropter ut haec talia extrema in febribus, ubi merito suspecta est *malignitas*, mature declinentur, omnis opera navanda est: Huius autem praecepta specialia, tum ex aliis scriptoribus medico-practicis, tum e citatis a me Autoribus, seorsim SCHELHAMMERO, et laudata *dissertatione Stabliana* petere licebit; quibus haud immerito addiderim ea, quae Marcus GERBEZIVS in tract. de morbis complicatis, Part. II. Cap. 2. de febre cum malignitate complicata, copiose non minus quam erudite commentatus est.

S. D. G.

COROL.

COROLLARIA

in gratiam DNN. Opponentium  
adiecta.

I.

*Vtrum malignitas in morbis praetendatur,  
an negligatur frequentius? Problema  
esto.*

II.

*Quod revera malignum est in morbis, saepe  
quidem difficulter cognoscitur, diffi-  
cilius tamen definitur.*



III.

*Non minoris artificii specimen est, praeca-  
vere malignitatem, quam ruditatis,  
eandem accersere.*

IV.

*Si recte ponas calculum, pauciores sunt spe-  
cies febrium natura malignarum,  
quam aliorum eiusdem indolis mor-  
borum.*

V. *Sicubi*



V.

*Sicubi malignitas accidit morbis, a febrium genere alias diversis, ibi etiam plerumque febris accedit.*

VI.

*Febres malignae, quantumvis ordinarie sint peracuti morbi, facile tamen in chronicos mutantur, aut tales post se relinquunt.*



VII.

*Dantur morbi maligni, ipsamet peste acutiores.*

VIII.

*Inter febres per accidens malignas, quotidianae continuae, catarrhales vulgo dictae, admodum lentae existunt.*







NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE  
DOMINO CANDIDATO  
S. P. D.

IO. IACOBVS BAIERVS.

**V**ix vlla querimonia frequentior habetur de Medicina, quam quod, ipsius HIPPOCRATIS effato, *Ars longa fit.* Hoc etsi non aequè de disciplina Artis, quam de apparatu experientiae habituque practico acquirendo intelligi debeat, vtpote quem non nisi longo rerum vsu consequimur; ipsa tamen quoque disciplina, rite percipienda, temporis aliquantum postulat, nec adeo breui spatio perdiscitur, sicut olim Methodicorum Coryphaeus, THESSALVS, eandem sex mensibus se tradere posse discipulis suis gloriatus est, propterea merito reprehensus à GALENO, et asini titulo dignatus. Nostro autem aevo utique locum habet operae compendium; ex quo non paucis doctrinae momentis, ad τὸ τέχνην αἰ minus necessariis, reiectis, caetera luculentius strictimque proponi consueverunt. Inde fit, vt nostrae disciplinae alumni, non admodum multi temporis decursu, assiduo tamen studio tantum proficere soleant, vt necessariis praeceptis fideliter instructi, deinceps *sine cortice* (quod dicitur) *natare*, ipsumque opus Medicinae faciendae, Diuina Gratia favente, auspicato aggredi queant. Ex horum numero Tu mihi memorandus nunc ades, *Nobilissime Domine* FLACHO, qui bona indole et capaci ingenio praeditus, facile istud expeditumque iter apud nos alacriter ingressus, ita confecisti, vt nulli dubitemus, quin desiderio et expectationi *Venerandorum Parentum Amicorumque Tuorum* egregie satisfactorus, et *Patriae* tam eruditi quam felicitis Medici officium praestiturus sis. Qua certa etiam spe fretus ego, de honoribus Doctorum, propediem consequendis, in antecessum ex animo *Tibi* gratulor! Dab.

Altors Nor. a. d. xxvi. Iun. A. S. R. 610 10 CCXXXIII.





**T**E medico, *febris cedit quæcunque maligna:*  
 Omne non vano sic mea plectra sonant.  
 Incolumem præstet Te seros Numen in annos;  
 Ex voto Numen vivere detque Tibi!

*Hisce;*

*Nobilissimo atque Doctissimo  
 Domino Doctorando, Amico  
 ex paucis selectissimo,  
 de honoribus mox impe-  
 trandis animitus gratu-  
 lari, simulque quæcunque  
 prospera adprecarî voluit,  
 debuit.*

IOHANNES CONRADVS SENNERVS,  
 MED. LICENTIATVS.

**N***Unquam flaccescet tua laus Clarissime FLACHO  
 Sed TIBI lauri instar, crede virebit ea:  
 Namque tuum studium voto respondet Hygeia;  
 Quæ propediem præmia digna dabit.*

Ita Nobilissimo Doctissimoque  
 DN. Candidato, Amico et  
 Contubernali suo perdi-  
 lecto, de honoribus bene  
 meritis gratulatur

IOHANNES VLRICVS EGGER,  
 Lindavio - Acronianus,  
 Medic. Studiosus, Opp.

